

ERNESTVS GODOFREDVS BALDINGER

36

PHILOS. ET MED. DOCTOR,

MED. PRACT. PROF. ORD. ET MED. ORD. IN GEORGIA AVGVSTA
SENIOR ET H. T. DECANVS,

TERTIO INDICIT

OCTO

CANDIDATIS DOCTISSIMIS

GRADVM

DOCTORIS MEDICINAE

CONTVLISSE

ORDINEM MEDICORVM.

Praefatio illustrat

Malignitatem in morbis, ex mente Hippocratis, per
recentiorum irritabilitatem et sensibilitatem.

GOETTINGAE

EX OFFICINA JOANN. CHRISTIANI DIETERICH,
ACADEMIAE TYPOGR. ET LIBRARIL.

1775.

Primarius b. Ill. VOGELIVS. Pathologiam, Chirurgiam utramque, doctrinas de morbis oculorum et osium hausi ex ore Celeberr. RICHTERI. Tandem cursui academico finem impositurus, frequentaui tunc temporis aduentientis, nunc Ordinis Medici Decani summe Spectabilis Ill. BALDINGER paelectiones in artem prescribendi formulas medicamentorum, Chemiam pharmaceuticam, Semioticam, Therapiam generalem et specialem. Fui etiam ex numero eorum, quos idem Fautor et praceptor in instituto clinico, quod suo studio et indefesso labore perfecit, exercenda paecepta medica ad lectos aegrotorum humanissime docuit.

Mense Ianuario h. a. recte et prompte satis ad quaestiones respondit examinatus, hinc in numerum Candidatorum receptus fuit. Ultimum specimen exhibuit die XV. Sept. quo publice disputauit sine praefide. Specimen sistit: *Spicilegium pathologiae animatae, una cum tractatione de generatione aequiuoca.*

IV.

IOANNES FRIDERICVS BLVMENBACH, *Gothanus.*

Natus sum anno huius seculi LII. die XI. Maii. Parentes pientissimos veneror HENRICVM BLVMENBACHIVM Lipsiens. A. M. Gymnasii illustris Gothani Prorectorem, Professorem, pluribusque eruditorum societatibus adscriptum; et CHARLOTTAM ELEONORAM HEDWIG, CAROLI FRANC. BVDDEI Cancellarii Vicarii Saxo-Gothani filiam, quos Deus diu seruet. Horum immensam, ad me bene feliciterque educandum, curam omnisque generis egregia beneficia enarranti, verba quidem, nunquam matieres, deficerent; quare sicco hic quidem transire pede, alta autem

mente eadem aeternum seruare, satius esse duco. Primum quidem vtebar institutione domestica vtriusque parentis, et plurium Virorum iuuenum; postea autem illustre Gymnasium, et quidem per plures annos ipso docente Caro parente, frequentabam. Quando per id tempus de eligendo futurae vitae aut studiorum genere sermo incideret, candide quidem optimus Parens et delicias et incommoda vnius-cuiusuis demonstrabat; nunquam autem quoddam p[ro]ae ceteris vel commendabat vel dissuadebat: ita vt rara mihi contigerit felicitas proprium ingenium sequi, et ad vnum alterumue maiorem propensionem pro lubitu, nemineque cogente, scrutari. Mihi ipsi ea in re relicto, medicina, cum germana quasi sorore, naturae puta studio, p[ro]ae reliquis omnibus, a teneris vt dicunt vnguiculis mirum in modum arrisit; ita vt his scientiis a prima iuuentute me vouerem et ipsis delectarer.

Anno seculi LXIX. altiora petere et academias frequentare diuinis sub auspiciis decernebatur. Autumno ergo eiusdem anni *Ienam* me contuli, vbi *Ill. BALDINGER O* tum fasces Academiae gerente ciuium numero nomen dabam. *WALCHIORVM* splendida domus, cui cognatum me esse inter ea referto, quibus iure mihi gloriari licet, paterna quasi cura et amore me suscipiebat, et, quod maximi momenti in vita academica feliciter gerenda esse puto, intimorem, ad studiorum meorum Antistites, aditum mihi beniuole parabat: inter quos *Ill. BALDINGERVS*, quo postmodum per quinquennium p[re]ceptor v[er]sus sum fidelissimo, ipsum cebrius inuisere, et bibliotheca sua instruētissima vti liberaliter concescit, aliisque innumeris modis cursum mihi facilitare egregie et impense studuit. Erat cum Ienam venirem adhuc in viuis vir extensae famae *KALTSCHEMIDIVS*, facultatis senior, chirurgiae Professor, simulque theatro anatomico et horto academico praefectus, qui autem altera post accessum hebdomade vita defungebatur, prima ergo hieme anatomicis exercitationibus carebamus. Audiebam interea *Ill. Viros HENNINGSIVM Logicam, SVCCOVIVM mathe-*

fin

fin p
docen
BAV
Viro (monia
scera s
grauiffi
numer
diu fuit
Cl. Viri
chirurgi
logiam
Ill. NI
audiui,
mentis c
Ill. Mü L
quitates
rariorū
mei fauor
denique
Trienniu
bato opt
que audi
ipsam in
Breu
Augusta
relinqueb
fis certis
et *Ill. Pü*
mum stat
firpe pr
eodem a

fin puram et physicen, BALDINGERVM demum physiogiam, docentes. Vere succedente iactura KALTSCHMIDII Ill. NEVBAVERI aduentu egregie compensabatur. Tantus huic *Celeb.* Viro (cui innumera me debere, et abs quo singularia fauoris testimonia me accepisse, merito et gratissima mente profiteor) amor viscera scrutandi, cadauera secandi, vt per totam hancce aestatem, grauissimis vt facile patet sub incommodis, anatomen doceret, et numerosi discipuli ipsi inciderent, id quod sequentibus annis quamdiu fuit hiems, sedulo repetitum fuit. Frequentaui praeter haec eiusd. Cl. Viri paelectiones doctissimas in Albinum de ossibus, Platneri chirurgiam et Roedereri obstetriciam. Historiam medicinae, pathologiam et botanicen primus me docuit Ill. BALDINGERVS. Ill. NICOLAI de materia medica et pathologia paelegentem audiui. Ill. WALCHIVS in historia naturali, artis antiquae monumentis celebrioribus, et archaeologia repetitis vicibus me erudiuit. Ill. MÜLLERO histor. Prof. et bibliothecis publicis praefecto antiquitates Germanicas, historiam Domus Saxonicae et demonstrationem rariorum bibliothecae Ienensis debo: qui idem *Dott.* Vir peculiari mei fauore me sibi deuinctissimum reddidit. Diuum TANNERVM denique in Anglicae linguae primis lineis fidum paeceptorum habui. Triennium ita *Ienae* peregi; hocce finito proficuum mihi fore videbatur optimis parentibus, si aliam adhuc inuiserem academiam, aliasque audirem magistros, eoque melius nullius in verba iurare, sed ipsam inquirere veritatem, addiscerem.

Brevis quo me verterem erat deliberatio. Almae enim *Georgiae Augustae* Professorum longe lateque patens fama nullum dubitationi relinquebat locum, quin mox vasis conclamatis huc me, laetae messis certissima spe fretus, conferrem. Appuli autumno anni LXXII. et Ill. PÜTTERO Prorectore albo academie inscriptus sum. Primum statim ea mihi contigit felicitas, vt iterum ex *WALCHIA* stirpe praesidum offendarem. Venerandum puta Prof. primar. qui eodem ac Pater (*ννν εν αγιοις*) fratresque Ill. Ienenses fauore me ample-

amplecti dignatus est; quibus altera paulo post contigit, vt de me rebusque meis tam egregie merentem BALDINGERVM huc vocatum iterum videre, eiusque colloquiis et paelectionibus vti licuerit.

Nimis prolixus forem, si innumera paeceptorum meorum *Goettingensium* faoris in me specimina et immensa de deuinctissimo discipulo merita, longius enarrare auderem. Satis erit, breuissimis faltem meminisse studiorum genera, quibus me pro profunda, qua omnes late clarent, doctrina beniuole erudiuerunt: initium faciendo ab *Diuo* hospite desideratissimo, quem omnes boni adhuc lugent, **VOGELIO Opt.** quem de viribus medicamentorum, et de morborum natura et curatione paelegentem, audiui. *Ill. BALDINGERO* duce chemicen pharmaceuticam tractaui, et medicamina componendi rationem in ipsa officina percepit; practicas praeterea eiusdem et de modo concinnandi formulas paelectiones frequentauit, diuque clinicis eius exercitiis me socium paebui, ipsosque aegrotos eo auspice inuisi. *Ill. MVRRAYI* botanicis et de materia medica paelectionibus doctissimis interfui, et singulari eius beniuolentia numerosas horti regii, vix vlli cedentis, plantas habui. *Illustr. WRISBERGII* sub auspiciis theatrum anatomicum frequentare, et practicis in arte obstetricia exercitiis, interesse mihi licuit, cuius in facilitandis et adiuuandis cadauerum sectionibus, studium et benignam operam gratisima mente agnoscam. *Ill. RICHTERVM* tum in pathologicis, tum praesertim in morbis oculorum candidum veneror Praeceptorem. Praeter hos Viros *Doctiss.* *Ill. KAESTNER* fautor non vno nomine pie deuenerandus mineralogiam, *Ill. ERXLEBEN* mammalium historiam me docuerunt. *Ill. BüTTNERI* arctiori confortio, quod inter paecipias laudes mihi ducere fas sit, a primis fere quas hic peregi diebus, feliciter usus sum; in historia naturali fidus mihi fuit paeceptor; et cum ante biennium accideret, vt boni publici studio thesaurum suum rerum naturalium academiae dicaret Vir *Ill. eo* duce catalogum harum naturalium conficeret

ficere Clementissime mihi demandatum fuit, quod negotium crebrius adhuc cum eo versandi faustum mihi praebuit occasionem. *Ill.* HEYNIVM, quo vnquam magis Patronum mihi fuisse memini neminem, in Horatii Odas paelegentem audiui. *Ill.* DIEZ vberiore linguae Anglicae notitia me erudiuit, et bibliothecae regiae usum non vno modo egregie et humanissime mihi facilitauit. *Ill.* SCHLÖTZERO denique Sueciae linguae elementa debeo.

Nostra non eget commendatione Viri Cl. ingenium et doctrinam, nimirum antea iamiam publicis editis speciminibus eximiam eruditionem probatam dedit, et longe plura promittere possum. Defendit die XVI. Sept. theses nonnullas sine praeside, cum specimen eius de *Varietatibus generis humani*, quod nunc in officina Vandenhoeckii prodiit ante paucos dies, tunc adhuc sub prelo sudaret, et Icones, quibus exornauit doctissimum suum specimen, nondum ex omni parte artifex perfecisset. Per semestre hybernum Vir Cl. cum applausu cepit docere in academia nostra *historiam naturalem*, et adhuc in disponendo thesauro rerum naturalium, quibus splendet academia nostra, Optimi Regis et Illustrissimorum Maecenatum liberalitate, occupatus est. Prodicit propediem descriptio animalium rariorum et aliarum rerum, quae afferuantur in ditissima illa collectione, quam longe lateque accersiuit Exc. Collega BÜTTNERVS, et quae in dies magis augetur, auctore Viro Cl. BLVMENBACH, qui idoneam satis inuenit occasionem, ut ingenio suo ex omni parte indulgere possit.

His quatuor laudatis Candidatis, die XIX. Sept. inter solemnia anniversarii academiae, publice in templo Vniuersitatis summos in medicina honores contuli, habita prius oratione: *quo sensu recte affirmari possit,*

hoc seculo nostro artem nostram emendatam et amplificatam esse. Postea vero sermocinatus est Cl. BLVMENBACH, et gratias egit inter solemnia vota.

V.

CHRISTIANVS AVGVSTVS HELD,

Nordhusanus.

Ego anno recuperatae salutis 1746. Nordhusae Thuringorum natus, patre IOANNE AVGVSTO HELD, Potentissimi Magnae Britanniae Regis, Luneburgo-Brunsvicensis Ducis Electoris etc. inter pedestres copias centurione; matre MARIA AEMILIA, IVRGENSII, sub eodem Rege Electore, superioris praefecti cohortis pedestris filia. Quibus me parentibus tenella iamiam aetate, duro fato, orbatum auus ille IVRGENSIVS, senex, cuius etiam manus summa pietate prosequor, educandum suscepit, paternoque amore amplectens me, pueritiam formari, et omni diligentia ad bonos mores atque artes fingi, litterarumque rudimentis imbui curauit. Primas enim, tam doctrinae christianaee, quam aliarum utilium scientiarum, lineas, a domesticis praeceptoribus accepi traditas. Aliquantulum autem aetate prouectus, Gymnasii Nordhusani commilitonibus adscriptus sum; vbi optimos audiui praeceptores, in primis doctissimum ALBERTVM, tunc temporis Correctorem, nunc vero eiusdem Gymnasii Rectorem dignissimum; itemque clarissimum illum ANDREAM FABRICIVM, nunc inter coelites versantem, illo tempore rectoris munere fungentem. Mutato deinde altoris mei consilio, Gymnasium, quod Hildesiae floret, frequentans, studiorum inferiorum, sub praeclarissimo SCHEFFELIO, eodem tempore Gymnasii istius Directore grauissimo, nunc Ministerii Hildesiani Superintendentem summe reuerendo, cursum absolui. Iam cum in eo essem, ut ad altiora adspirarem, orbus fa-

ctus